

domini 1460, die proxima post festum sancti Andree apostoli. Itaque 12. annis ante Autoris mortem.

II. fol. 328. sequitur *Lectura in Epistolam ad Romanos* pariter vasta, et pariter praemissa longa et praeclara Introductione, cujus initium est: *Diuina fauente clementia mihi lecturo epistolam ad Romanos Egregij doctoris gentium in fide et veritate beati Pauli incumbit breuem collationem premittere. Sis salus mea usque ad extremum terre. Is. 49. &c. Extrema, ut dixi, male habita, et abrupta sunt.*

CCXVI.

U. 161

Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 107. f. currente calamo scriptus continet: I. *Lecturam scholasticam in D. Pauli Epistolam ad Hebraeos* hujus exordii: *Lecturus epistolam b. pauli Apostoli ad hebreos morem in precedentibus epistolis per me lectis habitum seruando, primo premittam prologum huic epistole prepositum, circa quem quoddam dubium mouebo &c. Siftit haec Lectura in C. 5. Subjunguntur Quaesita in hanc Partem, quem morem in aliis Codicibus a Nicolao de Dünkelspühl et Petro de Pirchenwart observatum vidimus, et Quaesitum ultimum est: *An lex vetus conuenienter fuerit tempore Moysi data. Itaque et haec Librarius imperfecta destituit.**

II. fol. 96. ab alia manu sequitur Scriptum illud polemicum, quod incipit: *Iussit reuerendissima*

vestra paternitas ac metuendissima dominacio &c. contra Wiclefistas et Hussitas, quod Vol. I. P. 1. col. 968. et alias saepius etiam Vol. II. indicatum a Petro nostro de Pulka ad Card. Legatum Brandam Castillioneum directum fuit.

CCXVII.

Codex membraneus lat. Sec. R. 26 IX. Folior. nunc 112. f. caractere luculento eleganter perscriptus, olim, ut praenotatur, *Archivii Domus SS. Apostolorum Clericorum Reg. vulgo Theatinorum Neapoli ex dono Mich. Troyssii V. I. D. hunc praefert litera quadrata Titulum: Incipit Tractatus Hilarii In Septem Epistolas Canonicas. Cui Hilariorum hunc Tractatum tribuam, ignoro. Non certe Pithaviensi, aut Arelatensi, quorum illum Hieronymus adpellat latinae eloquentiae Rhodanum, et latini sermonis tubam, Virumque eloquentissimum; huic Honoratus Massil. flumen eloquentiae, sententiarum gemmas, argentum splendentis eloquii tribuit. Nihil horum sane reperias, si sumas in manus Nostrum. Vide, ut orditur: *Septem epistole. quas sancti patres iacobus. petrus. iohannes & iudas. ediderunt. tam mysticas quam succinctas. breues pariter et longe. Breues in uerbis. longas in sensibus. ut rarus sit qui in earum lectione non cecutiat. — Tres doctissime epistolis accidunt. increpatio. laudatio. uituperatio. Ob tres causas scriptae sunt epistole. ut uitia ressecarent. et uirtutes plantarent.**